

1524 *Sequanos numerari, leviores equites mille, præter decem Germanorum peditum millia, qui jam Alpes superassent, atque in Cisalpinae Galliae plana descenderent. His si Reipublicæ copiae accederent, quis jam animo cumulatae victoriæ gloriam præripere vereatur? Quapropter pro amicitia, pro fœdere superiore anno cum Cæsare percusso; pro Francisci Sfortiæ incolumitate, qui semper addictissimus Veneto nomini fuerat; pro Reipublicæ Venetæ gloria petere, hortari, orare, ut statim ea de re Senatus decernat, ne mora tempus terendo eximiae rerum optime gerendarum occasiones præterlabantur.*

*Franciscus
rex Neapolitanos
invadere statuit.*

Dum in re tam gravi anceps Senatus cunctatione utitur, ex novarum rerum successibus novæ in nutante Pontificis mente cogitationes oboriuntur. Nam rex, ubi spei a se de Ticino celerrime occupando conceptæ exitum nunquam respondere animadvertit, copiarum partem ad Neapolitanum regnum invadendum mittere statuit; duorum alterum fore ratus; aut Proregem, ut suæ fidei commissum Neapolitanum regnum tueretur, Insubribus relictis, eo statim cum majori, validiorique copiarum parte convolaturum; aut, illo absente, copiis fere omnibus exutos Neapolitanos ægre suorum impetum laturus. Joanni itaque Scoto, Albanæ Duci, id onus a Rege imponitur; ut sexcentis levioris armaturæ equitibus, ducentis cataphractis, quatuor Italorum peditum millibus ex universis copiis delectis, Apennini jugis superatis, in Neapolitanos impetum faciat. Rentio Ceriti mandat, ut iis militibus, quos ad classem, quæ adhuc in Herculis portu detinebatur, ducebat, præsto esset: complures ex Ursina familia adfuturos, quæ Gallicæ factioni semper studuerat; iis, ut in agro Romano quatuor peditum millium delectum haberent Franciscus iusserrat. Quæ res Pontificis animum nil tale suspicantem vehementer perculere; angebatur, quod Gallorum exercitus per suos fines iter facturus esset. Ducum consilia, militum insolentiam pertimescebat; regno Neapolitano Regem potiri æquo animo pati non poterat. Si transitum Gallis per pontificios fines permetteret, Cæsarem illum pro hoste habiturum; sin vero reuueret, Regis offensam subiturum; utroque bellum in fines illius allici; nec sine magno Italiæ discrimine Regem evehi: in clientela Ecclesiæ Neapolitanum regnum esse; beneficia-